



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Consolator Fidelis Et Proficientis Animæ seu
Exhortatiunculæ Spirituales Et Succinctæ In singulas
Dominicas & Festa anni divisæ, quibûs Confessarius in S.
tribunali animam Deum verè quærentem paternè ...**

Eisvogel, Veremund

Augustae Vindelic., 1727

Dominica quarta

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52716](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52716)

specialem quandam poenitentiam satisfactoriam petamus, & recitando *Psalmos graduales* iterum Dei offensi mitigemus iram. Cadere humanum est: poenitere, & satisfacere sanctorum.

Dominica IV. Quadragesimæ.

EXHORTATIUNCULA I.

Quid ita necessarium ad profectum in virtute, quàm libertas in spiritu? sine hac, fili! vivemus mancipia misera nostrarum passionum, inordinatorum appetituum, & internarum rebellionum. Non sic, ô fili! libertate filiorum Dei à Christo Jesu emptus est. Agnoscat dignitatem & non degeneret.

Instructio meritoria.

Libertatem adeò pretiosam ut eò certius desursum impetret, invocet Spiritum S. & in Venerationem 1 2. fructuum Illius oret 1 2. *Pater & Ave* cum hymno: *Veni S. Spiritus.*

II.

Quinque panibus, & paucis pisciculis saturata sunt quiaque millia hominum.

minum. Ad quid tanta ventris, & stomachi sollicitudo? paucis natura contenta est. Fili! corpus reficere oportet, non onerare, aut opprimere. Cibus de paradiso ejicit, temperantia reducit. S. Chrysoft.

Instructio meritoria.

Tantum comedamus, quantum ad sustentandam vitam, & non ad nutriendam voluptatem necessarium est. In quolibet ergo cibo unum mortificationis actum exerceamus. Experiemur, quàm dulcis, & nobilis virtus temperantia, pro qua obtinenda *officium minus de SS. Altaris sacramento* persolvamus. Quàm pretiosior hinc esca latet? Quæramus!

III.

Fugit iterum Jesus. Quid sibi hoc? noluit Rex esse, & magnus inter homines, sed Magister patientiæ, & humilitatis. O fili! regnum nostrum non sit de hoc mundo, vel in mortaliū oculis. Quæramus aliud, quod intra nos est: Nimirum spiritum pro Deo,

Deo, & virtute uti liberum, ita & ardentissimum.

Instructio meritoria.

Humilis & fugientis Jesu ut simus discipuli, eum comitemur recitantes Psalmum: *Confitemini Domino, quoniam bonus &c.* cum 12. *Pater & Ave* in honorem 12. graduum perfectæ humilitatis. Fili! regia via ad honores est contemptus honorum.

Dominica V. Quadragesimæ
feu
Passionis Dominicæ.

EXHORTATIUNCULA I.

Vexilla regis prodeunt, fulget Crucis Mysterium! jam procul cum jocis, & levitatibus sæculi! oculi & sensus sint in Jerusalem! pergamus: Et en! inveniemus Jesum virum dolorum, leprosum, & omnium despectissimum. Fili! ad amores igitur! ad compassionem!

Instructio meritoria.

Fugiamus publicum, & in occulto,
ac